

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 56.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Heraclito-Veterano Philosopho,
Ex mundo superiore

Elysium-Meum.—Die Veneris 18 Aug. 1809. (Neov. Ca. Sex 1809.)

Hodierna luce species quaedam Philosophiæ se insinuare incipit, tuæ flebili sapientiæ moeste Heraclite! perquam similis. Utrum mundus per ignem, prout contenderas, & ut te secutus Cel. Buffonius demonstrare adnitus, ortus sit, equidem ignoro, id nihilominus dubio vacat: eum per ignem, — in proeliis ex solopis & tormentis — interire videri.

Sane ita se res habet: hilaritas & iucunditas animorum orbe nostro decessit: ubi vis animi sorte sua male contenti sunt, praevalentque. Quocumque venis Herachitas vides, de statu suo querulantes, nec datur convenientior nostrisque adjunctis adcommodatior Philosophia, quam tua.

At vero: nullane bona etiam consecraria male contentus animus secum ferat? age, Panegyrim ei adparare tentabo, & eam tibi flebilis Philosophiæ! dedicabo, manum ad tabulam. —

Male contentus animus meliorem rerum statum precatur. In eo ratio excitata est, essetque pro humano genere infelicitas, si homines unquam de integro contenti sorte sua esse cuperent; male contentus animus sal est, quod a putredine preseruat. Quamdiu homines sorte male contenti vivunt, in cultura quoque morum progreditur. Feros in nova Hollandia, Pescheræcios in terra ignis, Esquimosios in borea ultimo Americæ nullus male contenti animi aculeus exagitat, & quid consequitur? similes sunt belluis, quæ ubi ventrem repleverunt, procumbunt.

Male contento sorte sua animo omnia commoda, quibus in Civili societate fruimur, debemus. Quod Cel. Kantius Criticam rationis ediderit, male contento animo tribendum est. Via ad maturitatem est: non esse contentum eo, quod agis, quod cogitas. Quam multi vitæ jacturam faciunt, antequam ad metam pertingant? verum quid amittunt, cum iniquis in animo eorum excitatur, expergiscitur, lique: aculeo ejus olim pulcherrimos fructus lectaros se sperare possunt?

Male contento animo prædito quanta debentur! qui omnibus aquiescit, quæcunque fiunt, eveniuntque, is non assequitur mente causam suam in terra commorationis. Nequaquam animus sorte sua contentus, sed male contentus homini connatus est; quia ratione præditus est. Hæc mera Idealia eisdem ob oculos ponit, & quis asserere audet; unquam aliquod Ideale a se effectui dari, aut

effectual dandum esse? Finitum est cancellus, quo homo arctatur, & hunc limitem nunquam transiliet, quousque Deus non fuerit.

Si aetas temporis quaedam praesentibus rerum adjunctis male contenta est, dum demum quid melius licet expectare; non modo sibi id necessarium esse sentit, verum & perspicacia ei obtruditur: melius illud, qua ratione obtineri valeat, proinde, qui bene multo animo male contentos reddunt, benefactores humani generis evadunt; quippe Culturam, & quod illuminatio dici solet, velocius efficaciusque, quam ullus alius mortalium promovent.

Si omnes in regione melliflua habitaremus, in qua assatae columbae ad os volare, pecudes jugulum praesentare, quibus edendi adpetitus, montes aromatico Anglicano condimento, fontes Rhaetico repleti, tum animus quietis magnum gradum attingere deberet; at nemini operi manum admovendi votam esset; quam, amabo, morositatis plenus hic esset mundus? adde: si aedes ebano extructae, bellariaque instar fungorum in silvis crescerent; oh quam mundus hic monotonus, quam iacens foret! Edere, bibere, dormire & cibum digerere, haec una foret occupatio horum regnicolarum.

Sic homo animo comparatus est: nec quidquam progreditur, nisi in necessitatem cuncta subigentem incidat, etenim suis consuetudinibus ita obfirmatus est, ut putet, omnia in statu suo consistere debere, at at

nihil sub sole stabile! magnae nos revolutiones conversionesque rerum praecessere, & consequentur; animus male contentus quemlibet ad majorem alacritatem exstimulat; ex aëto bello tricennali felix orbi illuxit ævum, septennele bellam praecipuum incitamentum erat ad culturam, alacritatemque nostræ ætatis, quo factum: ut quævis rerum adjuncta, quantum fieri potuit, tolerabilia evaderent, & ut nemo laborare volens egeret. Male contentus animus stimulus est in adversis, elater in sinistra fortuna; ejus ope imis alacritas vi quaedam magica inseritur, & procellæ tempestatesque externi orbis compescuntur.

Quare omnes in id consilium consentiant oportet: ex hodiernis rerum adjunctis, quam potest, plurimum bonum legendi, omneque, quod saluti humani generis & publicæ servit, agendi. Non diutius jam effectuatio melioris differri debet, omnis protelationis in hæc genere cogitatio convitium est; qui bonum, quod potest, non operatur, impius in genus humanum est, quivis bene sentientes & nobiliter cogitantes viri concordæ opera adnitendum habent: ne quid boni intercipiatur, neve malum deinceps eveniat. Omne quod displicet, tandem metam attingere debet, injustumque & profanum, justo & sancto cedat oportet.

Male contenti animi, quos bellum creavit, per Inducias bona spe affecti sunt. Sunt hæc balsamus vulneri. Verum nondum omnes angustiae compositæ, parum aut nihil de tra-

stationibus pacis audire est. Creditur distantie aulæ Petropolitane, quæ ad eam cooperari deberet, id tribuendum esse.

Ad hæc sequentia Varsovia de 17. Julio nunciatur ;

Copis, quibus hodie Gallicis constat, Gallo-Francisæ compellantur, Gallicasque aquilas tesserasque obtinent.

Die 9na Zamoscis, veteris Gallicis urbe, magnæ festivitates ad nuncupandum fidei sacramentum Suxæ Maj. Imperatori Napoleoni habebantur. Polonicæ & Gallo — Francisæ copis pompam exhibebant, Hymnusque Ambrosianus cum Oratione: *Salvum fac Imperatorem nostrum Napoleonem* solenni ritu decantatus est.

Litteræ Radomio de 5. hujus perhibent: die 2 h. m. novum ibidem regimen introducum esse, sub nomine Commissionis provincis Radomensis. Præses ejus Comes Soltyk, Pro Præses C. a Stadniki denominatus est.

Die 8. hujus Lublini neo constituta Collegia Juramentum fidelitatis Suxæ Maj. Imperatori Napoleoni nuncuparunt.

Parisiis die 28. Julii. Expectatur hinc 1500 Cæsares Prætorianæ viri ex Germania propediem adventuri.

Serenissimus Princeps de Ponte Corvo isthuc adpulit.

Litteræ privatsæ Vindobona memorant Imperatorem Austriæ cum Imp. Galliarum die 16. colloquium in insula Napoleonis (Lobavia) habuisse.

Stupore digna res est, quantum Parisiis ædificationi operæ impendatur; in omnibus amplissimæ urbis regionibus continuæ mutationes, emendationesque suscipiuntur; multæ urbem excolendirationes levi impensa, utpote sola dirutione foedorum, vetustorum ædificiorum quæ elegantioribus obstant, hisque obtutum adimunt, suscipiuntur, hinc & inde novæ plateæ periunduntur! quibus inexpectati & percellentes oculos obtutus se offerunt; ita res præter expectationem est: quod ex angusta nonnihil platea Honorii per novum compitum ad spatiosum novum forum in locum monasterii Jacobinorum deveniatur.

Palatium regium nuncupatum, quod ambitu quadrato suo plus spatii comprehendit, quam nonnullæ Helvetiæ, aut Germaniæ urbes, ligneis cancellis tabernarum foedabatur, quarum una Bibliopolarum dicta intra aliquot dies disparuit; optandum est: ut aliæ quoque paullo post diruantur, ut elegans, cujus prospectum interceptiunt, hæretus pristinis quodammodo juribus restitatur. Interim spatium intra duas relictas duabus minimam tertius protensum est, erique deambulationis locus elegans commodusque Curiam mercatorum adeuntibus.

Quæ in foro Vindonicensi (Vende) erecta columna est, Austerlitzensis, alta 130 pedes, indiametro 12 pedum, de præsentis aere obducentæ ex integro opera impenditur; ejus scapus 270 tabulatis renidet, tam affabile coagmentatis: ut dimoveri absque convulsione

totius massæ ab invicem nequeant, primum cuspidatæ formæ mare horizontali cursu representat, cujus undæ continuo augentur, tum sequitur Classicula Dunquercana; tabulata jam binos pedes in altitudine, terminos in latitudine efficiunt; victoriarumque seriem usque memorabilem adventum in plinitiam Austerlitzensem representant; Imagines in lateribus egregie rem exprimunt; plures earum respondeat admodum suis formis e. g. in 16 tabulato visitur celebris tibicen cum Crystalina tibia agmini præiens; tormenta 120 jam ad eam exornandam cusa sunt. In fronte operis opperculum formam campanæ præsert, cui statua Imperatoris imponitur, 5112 pondo appendit, gradus adhuc de præsentē cooperti interiori structuræ statuæ adplicati sunt, e latere, lucem sortituri dicuntur, per foramina, quæ medio terebelli fient, ubi tabulata firmiter adfixa fuerint.

Negotia publica pro more decurrunt, quo præsentē Imperatore, super cunctis ministrorum decretis, & deliberationibus Imperatori relatio præstat. Auditores ad Consilium status & diversa Collegia, adferunt gravioris argumenti litteras ad princeps hospitium, & sententiam Imperatoris Parisios, quemadmodum prioribus bellicis expeditionibus absente Imperatore usuveniebat.

Codicem poeaslem a Statu Collegio plene jam revisum, & legislativo Collegio proximo Conventu substernendum affirmatur.

Contenditur: tractationes inter Russiam Sveciamque aut abruptis, aut adhæsisse; — Id quoque spargitur: a Svecia Galliam advocatam, ejusque intermediationem petitam. Absque Finnia Svecia ultra modum restrictus & cuivis externo arbitrio patens status foret.

Colonia de 29. Julii scribitur nullas Colonicales merces ex Hollandia in Germaniam vehi licitum esse, seu litteris Certificatoriis provisæ sint, seu non sint.

B I O G R A P H I A

Heraclitus celebris Græcus Philosophus, ex Epheso, nullo usus magistro sola meditatione doctrinam assecutus. Erat admodum morosus & melancholicus, continuo deflens humanæ imbecillitates vitæ, quapropter *Philosophus teter febilis* adpellatus, dicere solebat „ab ira, quasi ab igne abstinendum, quod e vestigio accendatur, nisi caveas.” Diversa opera concinnavit, ex ceteris unum *de natura*, quo magnum adeptus nomen. Socrates multum celebravit id, quamquam obscuritatis argueret. Darius Persiæ Rex adeo eo delectatus, ut auctorem humanissimis litteris ad aulam invitaret suam, at teter noster Philosophus parum humane id negavit. In hoc opere docet: omnia certo spiritu animari; unum solum mundum eumque finitum ex igne ortum, & post diversas mutationes in ignem rursus convertendum. Obiit ex hydrope ætatis 69 Circiter 500 A. X. supersunt aliquot ab eo fragmenta & epistolæ.